

**Dissertatio inauguralis physico-medica De naso / quam ... sub praesidio ...  
Georgii Franci ... publico ... examini subjicit Franciscus Daniel Fissler ... Ad  
diem XXIII. Junii. M DC LXXIX.**

### **Contributors**

Franck von Franckenau, Georg, 1643-1704  
Fissler, Franciscus Daniel  
Universität Heidelberg.

### **Publication/Creation**

[Heidelbergae] : Literis Samuelis Ammonii, [1679]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/mpwtams5>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS  
PHYSICO-MEDICA  
DE

32

N A S O

Quam  
DEO IUVANTE  
CONSENSU & AUTORITATE  
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ IN  
PERANTIQUA ELECTORALI VNIVERSITATE  
HEIDELBERGENSI

SUB PRÆSIDIO  
*Viri Nobilissimi, Excellentissimi, atque  
Experientissimi*

DN. GEORGII FRANCI,  
MED. ET PHIL. D. ET P. P. ORD. ACAD.  
S. R. I. NATVRÆ CVRIOSORUM  
COLLEGÆ.

Patroni, atque Præceptoris sui ad cupressum  
usque colendi.

PRO

*Summis in Arte Medica Honoribus, ac Pri-  
vilegiis Doctoralibus obtinendis*

Publico Eruditorum Examine subicit

FRANCISCVS DANIEL FISSLER,  
Alzea - Palatinus.

*Ad Diem XXIII. Junii. M DC LXXIX.*

---

Literis SAMUELIS AMMONII, ACAD. Typogr.

SE SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO  
DOMINO

CAROLO  
LUDOVICO

D. G.  
COMITI PALATINO AD  
RHENVM

S. R. I.

ARCHITHESAVRARIO ATQ;  
PRINCIPI ELECTORI DVCI  
BAVARIÆ &c. &c.

DOMINO MEO LONGE CLEMENTISSIMO  
HVMILLIMA ADORATIONE  
PRO SVMMA CLEMENTIA

PATRI, MIHI, NOSTRISQVE BENIGNISSIME  
CONCESSA

DEVOTISSIME ADREPERE  
DEBVI

Hanc Inauguralem humillime consecrans

FRANCISCVS DANIEL FISSLER  
Alzea-Palatinus.

(0)

PRÆFATIO.

—— *Balatro suspendens omnia naso:*  
*Hæc est conditio vivendi, agebat, eoque*  
*Responsura tuò nunquam est par fama labori.*

**L**iceat hæc Horatii L. 2. Sat. 8. vers. 64. mea fa-  
cere sub auspicio *Nasi mei*. Nolim equidem  
ex tenui hac farragine montes mihi aureos pro-  
mittere, interea tamen hoc non diffiteor; *Et in*  
*tenui labore fuisse*. Moris est, ut Artis nostræ  
Candidati thema aliquod inaugurale ad discu-  
tiendum, & ventilandum doctis propinent; At-  
que ita hic affectum aliquem p. n. alter casum  
practicum, alius de materia medica; quisq; pro  
ingenii modulo. Mihi placuit & studium physi-  
ologicum repetere; & Physiognomicum adtin-  
gere; & Pathologicum ruminari; & semioticum  
expendere, ut deinceps in therapia, & Hygiene  
felicior pergerem. Si labori tenuissimo nun-  
quam respondebit fama, tamen credidero, & me  
Nasum habuisse, ut ut non tam emunctum, ac  
illi, qui

—— *Nasum Rhinocerotis habent.*

Interim facile Martiali credo, L. 1. Epigr. 42 v. 18.

*Non cuicumque datum est habere nasum*

Quare eodem monitore dico dissertationi meæ. L. 1. Epigr. 4.  
vers. ult.

*I, fuge; sed poteras tutior esse domi*



C. D.  
CAP. I.

De Onomatologia, & Pragmatologia Nasi,

I.



Um pridem sœpicule corporis structuram perlustrassem, de omnibus ejus ferme partibus jam dum plures scribisse, Nasum vero, totius faciei ornamentum, præter alios, quos habet usus, plane fere omissum, neminemque hactenus de eo fuisse sollicitum, inveni. Hinc structuram ejus, atque varios usus, explicandos mihi proposui. Ante omnia itaque consideranda erit ejus Etymologia, unde scilicet dicatur.

II. Sunt qui nares ac Nasum à nando derivatum existimant, quia ibi innatet, atque enatet spiritus, Natate enim videtur propter humorem in his existentem qui veluti purgamentum quoddam è cerebro defluit, ait. Nic. Perottus, in Cornucop. p. 13. potest quoque dici per allusionem Nasus quasi Nassus, i. e. humidus quia semper madet humore ex illo stillante; Ceteroquin credo esse primitivum.

III. Nec quoque Homonymia omittenda, sagaces, nasutos vocat Festus, teste C. Bauhin. in marg. theatr. anat. l. 3. c. 64. Naris acutæ homo pro eo, qui acuto ingenio est, dicitur, item homo nasi emunctioris. Hinc & Ægyptii in suis Hieroglyphicis sagaces notant homines naso, scribente C. Bauhino in Theatr. anat.

L. 3. C. 64. Nasus quoque aliquando pro subdola irrisione accipitur, *ceu ex Plin. L. 11. allegat N. Perot. in Cornucop. p. 194.* Vnde modus loquendi usitatus, styli nasum condere, h. e. Satyram scribere, quæ acerbiter aliquam, atque acrimoniam styli habet. in vitiis insectandis; *Inde Mart. Non cuique datum est habere nasum h. e. acrimoniam ad deridendum, & dicacitatem, Ut & proverb. vulgare, Er hat eine Nas bekommen. i. e. repulsam tulit cum dedecore.*

IV. Dicitur & per Synonymiam græc. *ῥίς* & *ῥίς*, à *ῥέω* fluo, quia per eum sordes & capitis superfluitates defluunt; Aliis *μυκτήρ*, à mucore, excremento pituitoso per illum dettillante; *C. Bauhin. Theatr. anat. L. 3. C. 64. pm. 455.* Nares equidem alias græcis dicuntur *μυκτῆρες*; quandoque etiam nasus ipse à medicis vocatur *μυκτήρ*. *Castell. Lex Med. voce Nares, Nasus, ac Nasum dicitur Lucilio L. 7. & 22. citante Perott. in Cornucop. p. 1264. sed rarius, ceu scribit Matthias Martin: in Lex. phil. fol. 2140.*

V. A Paronymia quoque quidam dicebantur, ut Ovidius Naso dictus est, quia magnum Nasum habebant. *Martin. in Lex phil. p. 2139.* *Scipio, Nasica, Valer. Max. l. 3. c. 7. Nasiter-na dicitur vas aquarium ansatum, & patens, Varro. de re rust. L. 1. C. 22. ex quo N. Perott. in Cornucop. p. 193. Nasalia, i. e. errhina, Diminutive, nasellus, nasculus, nasitellus, quod barbare. Mart. Lex. Phil. p. 2129. Nasosus, i. e. magnum nasum habens dicitur M. Martin. Philol p. 2139.*

VI. His itaque consideratis, oportet, ut etiam definiatur, quid sit Nasus; Est autem nasus faciei pars protuberans, spiritui meatum præbens, ait *C. Bauhin theatr. anat. L. 3. C. 64 p. 455.* Vel ea capitis pars est, quæ è superciliorum confinio oriens, & quasi æquali porrecta jugo, utramque faciem simul discernit, & munit. *N. Perott. in cornucop. p. 193. forte ex Domin. Leon. in arte Med. S. 1. L. 6. C. 1. p. 255. Rectius*

vero, si describere velim, dico; Nasus est pars dissimularis, in medio faciei posita, protuberans, radice contingens fere utrumque oculi canthum majorem, in fine duobus foraminibus deorsum spectans, supra labrum superius, variis constans partibus similaribus, ad odoratum, respirationem, variosque usus destinata.

VII. Dividitur autem Nasus in superiorem immobilem, & inferiorem mobilem partem. *C. Bauhin. Theatr. anat. L. 3. C. 64. p. 455. ut & in internum, & externum. C. Bauhin. ibid.*

## C A P. II.

### De partibus Nasi.

I. **C**onstat vero nasus ex variis partibus similaribus, & quidem exterius investitur cuticula, quam sequitur cutis, hæc vero tenuis est, & pinguedine caret, ne nimium excrescat, *Th. Barthol. A. R. L. 3. C. 10. p. 357. item C. Bauhin. Theatr. anat. L. 3. C. 64. p. 456. Anton. Deusing. Inst. anat. p. 3. C. 5. L. 4. p. 285.*

II. Pinguedinem hic nullam esse ait *P. Barbette Anat. L. 2. c. 1. p. 328. & Anton. Deusing. Inst. anat. p. 3. c. 5. l. 4. p. 285.*

III. Musculos octo enarrat *Th. Barthol. A. R. l. 3. c. 10. p. 375.* & quidem exiguos, propter exiguum motum, 4. ad dilatationem, & totidem ad constrictionem; *Huic & consentire videtur Ant. Deusing. Inst. anat. p. 3. c. 5. l. 6. p. 287. Riol. Enchir. anat. l. 5. c. 12. p. 337. dividit in proprios, & communes, communem unicum facit, reliquos proprios, quorum tamen non plures quam quinque comprehendere possum.* Quatuor proprios facit *Andr. Vesal. in hum. corp. Fabr. l. 2. c. 13. p. 291.* Nasus componitur ex variis lacertis, dilatantibus, & constringentibus, ait *Job. de Concoregio, prax. tract. 1. Lacertos autem musculos vocari.*

cari, vid. *Deusing. Inst. anat. p. 1. c. 2. thes. 1. p. 29.* & *Fernel. Physiol. c. 2. Sex ponit P. Barbett. in anat. pract. l. 2. c. 1. p. 328. in Nasutis vero 8. it. ibid. Plura de numero musculorum vide apud C. Bauhin. Theatr. anat. l. 3. c. 64. p. 456. ibi variorum sententias in margine ibid. adnectit.*

IV. Cartilaginee, quæ substantiam inferioris nasi constituunt, 5. constituit. *Thom. Barthol. A. R. l. 3. c. 19. p. 359. consentit C. Bauhin. Theatr. anat. l. 3. c. 65. p. 459. & Andr. Vesal. in hum. corp. fabr. l. 1. c. 37 & Anton. Deusing. Inst. anat. p. 3. c. 5. l. 8. p. 286. P. Barbett. Anat. Pract. l. 2. c. 1. p. 321. tres facit Carpus in Anat. p. 58.* Cartilaginea autem extrema hæc nasi pars esse debet, magna naturæ providentia, ut facillime claudi, maiorumque odorum ascensus prohiberi, ac rursus aperiri, dilatarique possit, aëris attrahendi causa; Præterea hæc nasi substantia confert, ut vix lædatur ab extrinsecis, quibus occurat: pressa enim cedit, frangi nescia, quæ utilitates adeo necessariæ, sublata forent, si narium fabrica universa ex osse constaret. *De hoc v. Reald. Columb. de re anat. l. 2. c. 3. p. 183. Ludov. Vassaum in Anat. corp. hum. Tab. 3. p. 142. & seqq. consentit quoque Nic. Perott. in Cornucop. p. 193. & Dominic. Leon. in arte Med. S. 1. l. 6. c. 1. p. 255.*

V. Ossibus constat duobus extrorsum eminentibus, quibus exstructus est, ait *Riol. Enchir. anat. l. 4. c. 6. p. 297. duo etiam constituit P. Barbette in anat. Pract. l. 1. c. 3. p. 252. & l. 2. c. 1. p. 321.* Hæc ossa autem sunt triangularia, fronti contigua, versus angulos lachrymales perforata foraminibus parvis, vid. *Carp. anat. p. 58. Dom Leon. in arte Med. S. 1. l. 6. c. 1. p. 255. Fern. Physiol. l. 1. c. 3. p. 9.* ossea hæc existit, ut sit tanquam oculorum murus ait *Georg. Bertin. Med. l. 5. c. 5. p. 84.*

VI. Nervi sunt à tertio pari, qui per foramina ejus & oculorum comunia ad majorem angulum, in tunicam nasi abeunt, & ad musculos, atque palatum vergunt, v. *Th. Barthol.*



*thol. A. R. l. 3. c. 10. p. 360. & C. Bauhin. Theatr. anat. l. 3. c. 65. p. 460. Ant. Deusing. Inst. anat. part. 3. c. 5. p. 288.*

VII. Adfunt quoque arteriæ, quæ sangvinem pro nutritione adferunt *v. C. Bauhin. Theatr. anat. L. 3, c. 65. p. 460.* Has autem à carotidibus oriri, *v. Th. Bartholini. A. R. l. 3. c. 10. p. 36. & Ant. Deusing. Inst. anat. p. 3. c. 5. p. 288. inde & à carotidibus nutrimentum ipsi advehi ait. P. Barbett. Anat. Pract. l. 2. c. 1. p. 328.*

VIII. Venas etiam habet ex jugularibus, ad revehendum sangvinem *v. Th. Barthol. A. R. l. 3 c. 10. p. 360. Ant. Deusing. Inst. anat. p. 3. c. 5. p. 288.* hinc venæ ex jugularibus sangvinem non satis coctum revehunt. *ait P. Barbette Anat. pract. l. 2. c. 1. p. 328.*

IX. Et quemadmodum in omnibus fere corporis partibus, vasa lymphatica solers anatomicorum indagatio, sic & in hac parte invenit de quibus *v. Mæb. Physiol. p. m. 326. & seqq. ubi usum atque naturam eorum fusius describit.*

X. Os cribriforme, seu tabulam cribrosam ossis Ethmoidis ad nasum quoque pertinere vult *Riol. Enchir. anat. l. 4. c. 6. Anat. Deusing. Inst. anat. p. 3. c. 5. p. 288.* Multis foraminulis hoc, cribri instar (unde & ei nomen) pertusum est ad aëris odore imprægnati in cerebrum (vel potius nervos olfactorios) transmissionem, *ait Barthol. Bausner. in consensu part. l. 2. c. 2. p. 113. De hoc pecul. tract. scripsit Conr. Viçt. Schneider. ubi p. 18. calvaria ossibus adnumerat, ibique ingentem catalogum auctorum varie sentientium adnectit.*

XI. Processus quoque mammillares ad nasum pertinere vult *Riol. Enchir. anat. l. 4. c. 6. & quidem ad internum Th. Barthol. A. R. l. 3. c. 10. p. 357.* sunt autem hi, duæ cerebri protuberantiæ intra cranium in sinibus ossis Ethmoidis recumbentes ad quas nervi olfactui inservientes terminantur *v. Ant. Deusing. Inst. anat p. 3. c. 5. p. 258.* eosque olfactus organa esse, contendere, atque ex ipsamet cerebri substantia constare, & prolongari vult, *Reald. Columb. de re anat l. 8. c. p. 356. Consentit.*

quoque

quoque *C. Bauhin Inst. anat. p. 157.* Verum hos processus non esse olfactus organa, sed nervos tertiæ conjugationis, in narium cavitatem expansos, contendit *Mæb. Physiol. c. 22. p. 608.* quo cum & consentit & rationem addit *Conr. Viçt. Schneider. tract. de osse cribriformi. p. 102.*

**XII. Tunica** quoque nares succingit, quæ à dura meninge est, teste *Th. Barthol. A. R. l. 3. c. 10. & Reald. Columb. de re anat. l. II. c. 1. p. 407. C. Bauhin. anat. l. 3. c. 65. p. 460. Barthol. Bausner de consensu part. l. 2. c. 2. p. 114. Lod. Vassæo in anat. Corp. Hum. Tab. 3. p. 143. Ant. Deusing. Inst. anat. p. 3. c. 5. p. 286. P. Barbett. in anat. pract. l. 2. c. 1. p. 328.* Est autem communis ori, palato, linguæ &c. sed in naribus tenuior est & exquisitioris sensus, multis foraminibus ad os cribrosum pertusa, uti *Th. Barthol. C. Bauhin. Barthol. Bausner. &c. Loc. supra citat.* Hanc membranam vocat *Riol. Enchir. anat. l. 4. c. 6. p. 298. & P. Barbette anat. l. 2. c. 1. p. 328.* quomodo vero membrana, & tunica differant, v. *Deusing. Inst. anat. p. c. 1. §. 3. 4. p. 25. & seqq.* Anatomici enim indifferenter utuntur membranæ, & tunicæ nomine uti *C. Bauhin. Inst. anat. p. 8. Fernel. Physiol. l. 13. p. 24.*

**XIII. Vibrissis** interne etiam cingitur uti *Th. Barthol. A. R. l. 3. c. 10. p. 357. item Ant. Deusing. Inst. anat. p. 3. c. 5. p. 285.* vibrissæ autem pili, quibus internus narium ambitus cingitur, appellantur quod iis dum evelluntur, caput vibratur v. *C. Bauhin. Theatr. anat. l. 3. c. 64. p. 456.* Vfus vero earum est, ne animalcula nares intrare possint, nec forte inspiratione attrahi, consentire videtur *Barthol. Bausner. de consensu part. l. 2. c. 2. p. 114.* ubi ait, *Vibrissa sub septo nasi in columella pronata ne aliquid temere nares ingrediatur, aut nobis in vitis excidat, cavent.*

C A P. III.

De Regionibus Nasi.

**I. R**egiones nasi etiam ab anatomicis varie nominantur; Dorsum enim pars ista, superior ossea, atque immobilis, B vocatur.

vocatur. *Th. Barthol. A. R. l. 3. c. 10. p. 357. & C. Baubin. Theatr. anat. l. 3. c. 64. p. 455. Ant. Deusing. Inst. anat. p. 3. c. 5. l. 2. p. 284. & hac etiam Lepor vocatur Carpo. anat. p. 57.*

**II. Spina** autem vocatur pars ista, sive regio acuminata. *Th. Barthol. A. R. l. 3. c. 10. p. 357. Ant. Deusing. Inst. anat. p. 3. c. 5. l. 2. p. 284.*

**III. Inferior pars cartilaginea** est, atque mobilis, eisque una extremas dicitur nasi globulus *Th. Barthol. A. R. l. 3. c. 10. p. 357. Orbiculus, & globulus* quoque dicitur *Ant. Deusing. Inst. anat. p. 3. c. 5. l. 2. p. 285.*

**IV. Alarum** nomine donantur latera nasi, quod quasi alarum modo nares occludant, referentque de his *v. Andr. Vesal. in Hum. Corp. fabr. l. 1. c. 37. p. 183. Alaria* (potius *ωτρεγυια*) quoque vocat *Galenus l. 3. de V. P. teste Carpo anat. p. 57. Alæ & Pinnæ quoque vocantur *Th. Barthol. A. R. l. 3. c. 10. p. 357. Consentit C. Baubin. Theatr. anat. l. 3. c. 64. p. 456. Pinnulas & alas etiam vocat. Lod. Vassæus in anat. corp. Hum. Tab. 2. p. 142. P. Barbett. anat. Pract. l. c. 1. p. 328. Anton. Deusing. Inst. anat. p. 3. c. 5. l. 2. p. 285.**

**V. Columnam** appellitant partem carnosam, in medio narium prominentem, labioque vicinam, *Th. Barthol. A. R. l. 3. c. 64. p. 456. Carpus anat. p. 57. P. Barbett. anat. Pract. l. 2. c. 1. p. 328. & Anton. Deusing. Inst. anat. p. 3. c. 5. l. 2. p. 285.*

**VI. Intrinsecus** porro dividitur nasus per **Septum** in duo foramina vel sinus, quos **Nares** vocant, *Th. Barthol. A. R. l. 3. c. 10. C. Baubin. Theatr. anat. l. 3. c. 64. p. 455. alique. Græcis* vocantur *μυκτιρες*. Hæc duo foramina vel sinus ideo adesse, ut uno obstructo altero in & exspirare quæamus ait. *Th. Barthol. A. R. l. 3. c. 10. Hæc foramina aliquando 7. mense genitis defuisse scribit N. Perott. in Cornucop. p. 194.*

VII. Septum autem, ut & Diaphragma, & Interfoeminem nasus, vocatur intermedium, duo ista foramina, quæ nares dicuntur, distingvens, *Carp. anat. p. 57. Hinc & Dom. Leon. in arte Med. S. I. l. 6. c. 1. p. 255. ait, Cartilago nasum per medium dividens, quem septum porrectum & Nasi diaphragma, interstitiumque vocare solent, aliis duabus cartilaginibus durior est, eo quod nasum erectum, & firmum sustinere debuerat.*

C A P. IV.  
De Connexione Nasi.

I. **P**ertingit autem nasus in superiore parte ad os Ethmoides, *uti Riol. Enchir. anat. l. 4. c. 6. p. 297.* cum quo & consentire videtur *Ant. Deusing. Inst. anat. p. 3. c. 5. p. 288.* tunica vero ejus interna ad meningem crassam pertingit, unde etiam oritur, estque communis & continua ei, quæ os, linguam, pharyngem, &c. intrinsecus tegit, uti jam supra C. 2. de partibus Nasi explicatum.

II. Sunt etiam duo foramina superius in radice nasi, versus lachrymalia oculorum, & idcirco cum collyria imponuntur oculis, percipitur in naso odor, propter apertionem istam, quæ ibi est versus nasum, & lachrymalia, de quibus *J. de Concoregio, Pract. Tract. 1. c. 82. p. 40.*

III. Altera autem pars narium supra palatum fertur in oris intima, & fauces, und fit, ut aliquando potus per nares effluat, *de hoc v. C. Baubin. Theatr. anat. l. 3. c. 64. p. 456. consentit & Th. Schenk in Schol. part. Corp. Hum. p. 1. c. 10. p. 42.*

C A P. V.  
De situ Nasi.

I. **S**itus est nasus in medio faciei, oculos, & faciem in duas partes

partes æquales discernans , uti ait Riol. *Enchir. anat. l. 4. c. 6. p. 297.*

II. In altiori loco , videlicet inter oculos 1. ob venustatem , 2. quia omnis odor. ad superiora fertur , positum esse ait Thom. Barthol. *A. R. l. 3. c. 10. p. 357. quod etiam concedit Lod. Cel. Rhodig. Lect. antiq. l. 3. c. 30. p. 205. & C. Baubin. Theatr. anat. l. 3. c. 64.*

III. Monstrum aliquando , quendam nasum in spina dorsi habuisse qui proboscidem parvam referebat , inquit Ambros. Paræus ap. Fort. *Licet. de monstris l. 2. c. 30. p. 131.*

## C A P. VI.

### De quantitate Nasi.

I. **M**agnitudo nasi variat , alii enim maximum , alii parvum , alii simum , alii aquilinum &c. habent nasum , v. Th. Barthol. *A. R. L. 3. C. 10. p. 357.*

II. Ejus longitudinem , atque latitudinem indecoram esse , si pollicis longitudinem , atque crassitiem excedat , ait Riol. *Enchir. anat. L. 4. C. 6. p. 297. Ant. Deusing. Inst. anat. p. 3. C. 5. L. 1. p. 284.*

III. Exiguum admodum nasum Sinensibus esse atque vix prominere , scribit Trigault. *de regno Sinae C. 8. p. 192.* ab orientis parte intima homines sine naribus facie plana , æquali totius corporis planitie esse , scribit Plin. *H. N. L. 6. C. 29. ap. Schenk. in obs. de capite obs. 329.*

IV. Contra de magnitudine nasi Th. Barthol. *C. 2. p. 44. Citante. Blasio in appendice Fort. Liceti de monstris p. 277. narrat , Romæ cuidam nasum fuisse adeo magnum & pendulum , ut veluti proboscis Affricano gallo hinc inde cum corporis motu com-*  
MOVETUR.

*moveretur.* Huc & referri potest nasus, civis Montbelgarden-  
fis, de quo Contubernalis meus mihi narravit, qui nasum  
naturaliter bene conformatum, triplici quantitate supera-  
bat. Item jocum de naso magno, qui *instar horologii v. ap.*  
*Othmar. Luscin. in jocis ac salibus §. i.* De maxima defœdatione  
quoque nasi per tubercula verrucarum hinc inde enata in ce-  
lebri horologiorum artifice Argentorati. *D. Franc. Celeb. præ-*  
*ceptor honorat.*

3. Basileæ circa Paschalis festum Anni 1556. infans adeo  
scissis, atque apertis naribus natus est, ut inde ejus cerebrum  
facillime fuerit conspectum, *ex Lycosthene allegat Schenk. in Obs.*  
*de Cap. Obs. 329.* Die Moren drucken ihren Kindern in der Zus-  
gend die Nasen breit / *Hermersem. in seiner Reißbeschreibung*  
*6. 4. p. 35.*

VI. Duplicem quoq; nasum meminit *Th. Bar-*  
*thol. H. 25. c. 1.* in puella, in cujus nasi dorso prope oculorum  
confinia carnosus tumor adnatus, cernebatur, qui secundi  
alicujus naasi speciem referebat, *Duplicem quoque v. apud*  
*Borell. Obs. c. 3. Obs. 43.*

C A P. VII.

De Figura Nasi.

I. **F**igura Nasi quoque ad commoditatem, atq; ornamen-  
tum multū refert, nam elatior præstat simo, & patulæ nares  
strictis præferendæ, Inquit *Riol. Enchir. anat. l. 4. c. 6. p. 297. item*  
*Ant. Deusing. Inst. anat. p. 3. c. 5. l. 1. p. 284. variat. autem figura uti*  
*Th. Barthol. A. R. l. 3. c. 10. p. 357.* Dr. Prefferus Medicus spagyri-  
cus Solertissimus, virum circa urbem Granatam circa Montal-  
banum vidit, qui nasum omnino instar sempervivi habebat,  
cujus folia apparebant, *teste Borello c. 4. Hist. 100.*

II. Nostra ætate visa est puella, cujus os frontis, & ossa naris ita producta erant, ut ipsi caput porcinum impositum esse videretur, ait. *C. Vict. Schneider. in tract. de osse Cribriformi. p. 396.*

III. Spectat. quoque ad nasi mirabilia, qui nasum huc & illuc libere movent, atque controquent; *Novi ego inquit Schott. in Phys. Cur. L. 3. c. 23. p. 571. virum religiosum, ac doctum, qui nasum inter loquendum movebat adeo manifeste, ut risum inassuetis & sibi ipsi ruborem induceret.*

## C A P. VIII.

### De Vsu Nasi, & quidem Physiologico.

I. **S**equitur jam usus nasi, & quidem Physiologicus primo, qui varius est. Odoratui inservire, sc. ut odores per eum deferantur usque ad processus mammillares, supra os cribriforme latitantes, unde, quibus nasus ad radicem usque abscissus est, vel non olfaciunt, vel male uti *Th. Barthol. A. R. l. 3. c. 10. p. 360. consentit. quoq; Riol. Enchir. anat. L. 5. c. 12. C. Bauhin. Theatr. anat. l. 3. c. 45. p. 461. Nic. Massa anat. c. 41. p. 93. Lod. Cel. Rhodig. Lect. antiq. l. 3. c. 30. p. 206.* & quidem primarium olfactus organum *Barthol. Bausner. in consensu part. l. 2. c. 2. p. 113. Ant. Deusing. Inst. anat. p. 3. c. 5. l. 1. p. 284. ut & Th. Schenk. in Schola part. hum. corp. p. 1. c. 10. p. 41.* Scribit odores percipere narium proprium est.

II. **A**d mucum excernendum ut sc. excrementa cerebri per eum ceu canalem effluant, secundarium usum esse ait. *Th. Barthol. A. R. l. 3. c. 10. p. 360.* ubi simul causam addit, consentit quoque *Lod. Cel. Rhodig. Lect. antiq. l. 3. c. 30. p. 206. Anton. Deusing. Inst. anat. p. 3. c. 5. l. 1. p. 284. Confer quoque Barthol. Bausner. de consensu part. l. 2. c. 2. p. 113. C. Bauhin. Theatr. anat. l. 3. c. 45. p. 461. Nic. massa anat. c. 41. p. 93.* Hinc & narium

minus

minus proprium esse excrementum quod à vicinis partibus ductibusq; salivalibus Stenoniis affluit, cum terminis excipere, *Inquit J. Theod. Schenk. in Schol. part. Corp. Hum. p. 1. c. 10. p. 41.*

III. Ad vocem quoq; conferre *v. Th. Barthol. A. R. l. 3. c. 10. corp. in anat. p. 58. C. Bauh. Theat. anat. l. 3. c. 45. Lod. Cal. Rhodig. Lect. antiq. l. 3. c. 30. p. 206. Barth. Bausner. in consensu part. l. 2. c. 2. p. 113. J. Theod. Schenk. in Schol. part. Corp. Hum. p. 1. c. 10. p. 41. ubi ait.* Ingrata admodum & horrida est brutorum, hominumque loquela, truncatis, male conformatis, aut obstructis naribus, ad quarum aptam manus ope factam compressionem, dulcissimus iste Dulciani instrumenti, sono musico analogus, non sine summo auscultantium oblectamento sub auditur sonus.

IV. Ad ornatum faciei etiam facere, *v. Th. Bartholin. C. Bauhin. Barthol. Bausner. l. l. a. a.*

V. Ad aërem quoque transmittendum nares faciunt. *v. Anton. Deusing. Inst. anat. p. 3. c. 5. l. 1. p. 284. ut & Th. Barthol. A. R. l. 3. c. 10. inquit,* nares sunt, ut per eas aër intret, usque in cerebrum, pro Spirituum animalium necessitate, cum quo consentire videtur *Barthol. Bausner. in consensu part. l. 2. c. 2. p. 113.* Inspirationi, & expirationi inserviunt, ut per eas aër intret in pulmones, pro refrigerio sc. Cordis, & Spirituum vitalium generatione ait *Th. Barthol. loco. cit. & Carp. anat. p. 78.*

VI. Hoc vero negat *Mæb. Inst. p. 58.* & potius, ut sanguis ventiletur, & vapores sylvestres seu excrementitii, quos aliqui sinistre fuligines appellant, excludantur, cum quo & convenire videtur *J. Theod. Schenk. in Schol. part. Corp. Hum. p. 1. c. 10. p. 41.* Quando ait, narium minus proprium est aërem ad inspirationem ad guttur, & pulmones promo-



vere, egredientibus autem per expirationem fuliginosis vaporibus exitum præbere.

VII. Huc & referri potest de **Odore**, an sc. odore nutriri possimus? quod & eleganter negat, *Conr. Viçt. Schneider de catarrhis.*

## C A P. IX.

### De Usu Pathologico Nasi.

I. **N**ASUS tam interne, quam externe varie laborare solet. *v. Riol. Enchir. anat. l. 4. c. 6. p. 298.* advertendum, quoque est, in naribus, seu naso generari posse omnia tria genera morborum sc. Intemperiei, conformationis, & solutæ unitatis, *scribit J. de Concoreg. Pract. Tract. 1. c. 8. p. 40.* Cui & assentire videtur *Dom. Leon. quando ait, in Arte Med. S. 1. l. 6. c. 1. p. 256.* Nasus quovis genere ægritudinis affici potest.

II. Unde & variis symptomatibus vexatur, odoratum enim primo quod attinet, iste vel aboletur ex impedito narium, ethmoidisque ossis meatu, quo Spiritus, ac odor duci solet, idque vel Sarcomate, vel phlegmone, polypo, coryza, vel alia quadam læsione, *v. Theod. Corbeji. Pathol. l. 2. S. 2. c. 50. p. 225.*

III. Imminuitur odor ejusmodi à causis verum levioribus.

IV. Depravatur autem ex his duntaxat partibus, quæ circa nares & os ethmoidis sunt, quando exulcerantur, putridaque materia generatur, ut in **Ozæna**, aliisque putridis, vel cancris ulceribus, vel quando certum odorem perferre non possumus.

V. De Sarcomate, polypo, coryza, ozæna aliisque, cum aliquomodo mentio facta sit, restat, ut etiam describatur, quid sint.

**VI.** Et quidem **Sarcoma** est carnis in naribus præter naturam auctio, differens à polypo magnitudine & opificio, ait *Castell. Lex. Med. Tit. Sarcoma p. m. 361.*

**VII.** **Polypus** autem est caro fungosa, è tubulis narium enata, tum loquelæ, tum respirationi difficultatem inducens, v. de hoc *J. van Horn. Microtechn. §. 8. p. m. 82. Dom. Leon. in Arte Med. s. 1. l. 6. c. 5. Fel. Plater. Prax. Tom. 3. l. 1. c. 3. p. 178. Th. Barthol. A. R. l. 3. c. 10. p. 360. Castell. Lex. Med. in voce Polypus. P. Forest. in l. 3. obs. 8. C. Bauhin. Theatr. anat. l. 3. c. 45. p. 459. Fabr. Hild. Cent. Epist. 61. Bened. Sylvat. Cent. 2. Conf. 23. P. Barbett. anat. Præf. l. 2. c. 1. p. 343. De Polypo* qui ex utroque nare ad labium imum usque pertingebat, feliciter autem curato, v. *Henr. ab Heer obs. 28. p. m. 310. De obstructione* admodum diuturna narium v. *P. Forest. l. 13. obs. 9. Barthol. Montagnan. Conf. 55. p. 77.*

**VIII.** **Coryza** sive **gravedo** autem est obstructio narium ab humore viscido, sæpe acri, defluente à capite, v. *Castell. Lex. Med. sub hac voce. P. Forest. l. 13. obs. 15. P. Bayr. in veni mecum l. 5. c. 4. p. 127. Fel. Plater. Prax. tom. l. 2. p. 599. & 608.*

**IX.** **Ozæna** autem dicitur ulcus narium antiquum, & valde foetidum, v. *Schmitz in prax. sub voce ulcus narium p. m. 239. Riol. Enchir. anat. l. 5. c. 12. Castell. Lex. Med. sub hoc tit. P. Bayer. in veni mecum, l. 5. c. 3. p. 123. P. Forest. l. 13. Obs. 2. Fabr. Hild. c. 2. Obs. 22. & 23. & cent. Epist. 94. Schenk. in Obs. de Cap. Obs. 334. Alex. Trall. l. 1. c. 35. p. 112.*

**X.** **Sternutatio**, das **Niesen** / quoque ad narium affectus refertur, est autem cum magno impetu, & vociferatione cum corporis concussione aëris subita exsufflatio, per nares, sed mox iterum abrupta, excitata ab ejusmodi partibus, quæ sensilem nasi tunicam vellicant, atque irritant, de hac v. *J.*

*de Concoreg. pract. Tract. i. c. 89. p. 41. pecul. tract. de hac Martin. Schook. item de hac Dom. Leon. in arte Med. S. I. L. 6. c. 5.*

**XI. Ulceribus** quoque vexatur nasus, de quibus *v. Concoreg. tract. Pract. i. c. 85. p. 41. Amat. Lusit. c. 5. Cur. 25.*  
**De ulcere in apice nasi** *v. Fel. Plater. Obs. l. 2. p. 364.* Intra nares abscessus quoque quandoque fieri, *v. Schenk. in Obs. de cap. Obs. 336.* **De Apostemate** in superiore parte nasi *v. Barthol. Montagn. Cons. 71.*

**XII. Frigore congelatum** nasum *v. apud Fel. Plater. Obs. l. 2. p. 367.* Nasus frigore quoque comburitur, quod experti sunt piscatores Borussii & Curlandici, quos *J. Agric. Tract. 5. Chir. parv. apposito nivis vel glaciei frustulo, intra hora quadrantem persanari vidit, ceu scribit Th. Barthol. de usu nivis Med. c. 29. p. 163.*

**XIII. Pernionem** quoque in naso vidit, & quidem in extremitate ejus *Sennert. prax. l. 5. p. 1. c. 15.*

**XIV. Tuberculum** in medio nasi pueri ad instar cerasi rubri, *v. ap. Fabr. Hild. c. 2. Obs. 66.* simile tuberculum rubicundissimum in Mediolanensi *v. apud Eundem ibid.* **De tuberculo** *v. Bened. Sylvat. c. 2. Cons. 26.*

**XV. De Fractura** nasi *v. Corn. Celsum. de re Med. l. 8. c. 5. & J. Scultet armam. Chir. Obs. 22. p. m. 235.*

**XVI. Huc & hæmorrhagia narium** pertinet, de qua, & quidem ingenti, *v. Bayr. in Veni mecum, l. 5. c. 7. p. 130. Fabr. Hild. Obs. Chir. c. 1. Obs. 16. Schenk. in Obs. de cap. 333. P. Forest. l. 13. Obs. 10. 11. 12. 13. & 14. Cæl. Rhodig. Lect. antiq. l. 3. c. 30. p. 206. J. de Concoreg. Pract. tract. i. c. 84. p. 40. & Kozack tract. peculiar.*

**XVII. Vermes** quoque in naribus deprehenderunt

varii auctores, uti Schenk. in Obs. de cap. obs. 337. V. Schneider. de osse Cribriformi. p. 439. Gottfried Voigt Physicalischer Zeitvertreiber/welcher bey vielen Menschen observiret, daß in ihren Naslöchern schwarzköpffichte Würm gelegen/ als Spinnen.

XVIII. Calculos quoque ex naribus virginem quandam nobilem emunxisse, forma, & magnitudine dactylorum, ait Th. Barthol. c. 1. Hist. 33. Plater Tom. 3. prax. l. 2. c. 15. adhuc servat calculum talem, quod & l. cit. p. 1002. confirmat.

C A P. X.

De Vsu semiotico Nasi.

I. **V**aria quoque signa, tam diagnostica quam prognostica à naso peti possunt. Nasum enim acutum partem faciei Hippocraticæ facere v. Ex progn. aph. 6. & 7. Item Nasus acutus, aut qui pervertitur, aut quocunque modo retorquetur, malum signum est, Coac. l. 2. §. 72. & Celsol. 2. c. 6.

II. In Elephantiasi ingravescente præter alia signa etiam nares inferiores contrahi, scribit Petrus in Nosolog. Harm. Diss. 45. §. 19. p. 405. Confirmatæ vero Elephantiasis signa, præter alia esse erosionem & casum mediæ narium cartilaginis imo totius nasi, putrefactionem, & erosionem. Id. Ibid. §. 21.

III. Nares præter consuetudinem prurientes, aut imminentem narium hæmorrhagiam, aut delirium præfagiunt; In infantibus vero interdum lumbricos indicant, teste Mæb. Inst. p. m. 421.

IV. Nasus apparet acutus in Phthisi ait Rolsinc. Meth.

*cogn. & cur. part. Corp. aff. l. i. p. 2. c. 6. p. 152.* Quid porro summus nasus acutus, albus denotet, v. *Wolf. Christ. Wessener. Disp. inaug. (Jenæ 1675. habit.) c. 8. p. 35.*

C A P. XI.

De usu Physiognomico Nasi.

I. **E**X solo tactu globuli & orbiculi nasi virginem corruptam judicant, *Mich. Schott. teste Th. Barthol. A. R. l. 3. c. 10. p. 357.* & *J. B. Sinibald. geneanthr. l. 4. Tract. 2. c. 3.* quod absurdum censeo.

II. Nasum acutum hominis ad iram valde proni esse signum communis est sermo, quod etiam aliquo modo potest admitti, causã hanc damus, quia pleriq; temperamenti sunt Cholericici, seu biliosi, qui ob lævem causam ira accenduntur.

C A P. XII.

De usu Medico seu Therapeutico Nasi.

I. **N**asum abscissum restaurari posse, varie sentiunt auctores, alii pro, alii contra;

II. Nasum recenter descissum restituit *Jac. Holler. Chir. l. 2. c. 5. ap. Schenk. Obs. de cap. Obs. 343.* Chirurgica operatio, qua nasus aut abscissus, aut à nativitate curtus ex brachii carne, aut ex servi naso reficitur, fabulosum non esse volunt aliqui. Exempla quædam ad *Orpianum* scribit *Steph. Gourmelen. Chir. l. 1. ap. Schenk. Obs. de cap. Obs. 344.* Historias quasdam, modumq; conficiendi ex aliis auctoribus tradit *Schenk. Obs. cit. Consentit Gottfried Voigt Physicalischer Zeitvertreibers. c. 2. quest. 9.* Ubi integrum catalogum ipsi adstipulantium recenset. Nasum resti-

restituit *J. Griffonius apud Hild. Cent. 1. Obs. 31. Consentie. Petrus in Nosol. Harmon. Diss. 44. quest. 1. p. 399. & Frid. Hoffm. in Meth. Med. l. 2. c. 2. p. 418. & seqq. & fuse G. Francus Prac. honor. diss. de Restitutione in integrum §. 5. Heidelberg: 1672.*

III. Periculosum hoc esse dicit *P. Zachias Quæst. Med. Legal.*

IV. Nasum tamen restaurari posse negat *Schenk. Obs. de cap. Obs. 345.* Ubi rationes reddit, parumque isti experientiae tribuere videtur *Fel. Plater. prax. tract. 3. c. 1. p. 83.*

V. Formulæ vero medicamentorum pro variis nasi affectibus p. n. facile possunt scribi, sed cum practicorum libri hinc inde prostent, eo temporis gratia avidum lectorem ablegare debui.

VI. Et hæc peracta, auxilio divino, sufficient, cui sit gloria, atque honos, & faxit Deus, ut omnia cedant in DEI gloriam, atque proximi salutem.

*Ad L. B.*

## *E R R A T A.*


Quæ forte irrepsertunt sic corrige, pag. 9. lin. 23. iis, evelluntur, pag. 10. lin. 8. pro extremias, extremitas, lin. 12. rentque: lin. 28. pro quæamus, queamus p. 11. lin. 2. pro fœminem, fœmineum. pro Nasus, Nasi lin. 23. pro und, unde, lin. 25. & J. p. 12. lin. 1. pro discernans, disternans lin. ult. pro mevetur, moveretur, p. 13. lin. 9. pro 3. V. pro Paschalis. paschatis. lin. 13. pro Hermersem, Hemmersam lin. 17. pro naasi, Nasi. lin. 24. pro Inquit, inquit, p. 14. lin. 5. pro controquent, contorquent. lin. 29. pro. massa, Massa. p. 15. lin. 12. pro auscultantiam auscultantium, p. 16. lin. 11. pro Conformationis, organicum. lin. 25. pro ethmoidis, ethmoides, reliqua jure humanitatis mihi condonabis.



**U**T solet excultis qui femina credidit arvis  
 Lætari larga messe colonus agris;  
 Gaudia sic FISSLERE probas, docilique labore  
 Ars medica ingenio credita messis inest  
 Gratulor ex animo, bene cedant omnia voto,  
 Et meritis studiis digna corona tuis!

*Nobil. Dno. Candidato Disputanti  
 pro summis Med. honoribus hac  
 amica manu scripsit*

JOH. WOLFFGANG TEXTOR D.



**O***Mnis habet Nasum! Nasum non omnis ha-  
 bebis!*

*Olfacit hicce magis, quod facit iste minus.  
 Sunt equidem multi, qui rhinocerotis ad instar  
 Ostendunt Nasum, sed sine mente, suum.  
 Si perges Nasum sic exercere peritum  
 Ipse Tua fama carmina Naso dabit.*

Nobiliss. atque Clarissimo Domino  
 CANDIDATO FISSLERO  
 Optimi Candidique Viri Filio Genuino  
 adplauderam

GEORGIUS FRANCUS  
 Med. & Phil. D. P. P.

**E**r kan nicht Nas=weiß sein / der Tag und Nacht gefors  
 get  
**U**mb Kunst und Wissenschaft / die man von Göttern  
 borget /  
 Wer aber obenhin dieselbe hat berührt /  
 Und bild ihm doch mehr ein als sich mit recht gebührt /  
 Der mag mit gutem Fug den Nas=Weiß titel führen /  
 Ihr aber / Werther=Freund! wer sich / wie Ihr / läst spüren  
 Auff Kunst=gebahnten Weg / und wer sich Tag und  
 Nacht  
 Zu lernen hat bemüht / der wird zu Ehren bracht.  
 Ich wünsche nun Glück zu Euren neuen Ehren /  
 Der Himmel wolle fort dieselbe mehr vermehren /  
 So so könnt Ihr mit recht Apollens Pflegsohn sein /  
 Der Euch in seine Zunft nunmehr gelassen ein.

Dieses setzte auß sonderbahrer Schuldig-  
 keit dem Herrn Candid. als seinem  
 werthen Freunde zu ehren.

J. D. GEIER. M. St.



**T***U Phæbi Soboles* meritos acquiris honores,  
 Et gaudes Medico *Te* decus esse foro.  
*Æmule Tu Patris*, Magno Jovis incre-  
 mento  
 Mox laudes amplas Magnus Apollo dabit;




Nam Medicæ doctum Cathedræ Te jure vo-  
cabunt.

Qui calles morbos ritè fugare graves  
Gratulor ex animo Pallas tua vota secundet,  
Applaudo studiis, *Candide Amice* tuis.

sic

*Votivo calamo nobilissimo & pereximio  
Domino Candidato amico suo integer-  
rimo accinit*

Henr. Ulmannus. J. St.



N A S V S

per Anagramma

S A N V S.

**C**Ur solus Nasus, Tibi, dic FISSLERE, place-  
bat?

Quum curæ solus mox Tibi SANVS erit.  
Insanos fanes, dein fac medicamine Sanos,  
Et fane SANVS sis maneasque precor.

*Sic Nobilissimo Domino Candidato  
gratulatur*

Daniel Bscherer Med. Stud.